CAROLI MARIÆ ROSINII

EPISCOPI PUTEOLANI

PHILOSOPHUS

COMŒDIA

E MANUSCRIPTIS ERUTA
MENDIS PURGATA METRICIS

PER SALVATOREM PISANUM-VERDINUM

REGIÆ ACADEMIÆ
ARCHÆOLOGIÆ LITTERARUM ET PULCHRARUM ARTIUM SOCIUM ORDINARIUM
S. THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ DOCTOREM
ETC. ETC.

NEAPOLI
TYPIS FIBRENIANIS
MDCCCLXXI

PERSONÆ

PHILOCLEON, senex paterfamilias.
BDELYCLEON, filius ejus.
SOSIA, servus.
NICARCHUS, philosophus.
STRATILAX, servus ejus.
DISCIPULI ALIQUOT, ex quibus PAMPHILUS verba facit.
CHARINUS, quidam adolescens.
CLITIPHO, Philocleontis vetus hospes.

PROLOGUS *)

Advenio apud vos, Spectatores, Prologus;
Salutem primum plurimam a nostro grege
Est aequum nunciare; tum, quod fabulae
Sit argumentum nostrae, breviter proloqui.
Bdelycleon Philocleontis filius patris
Nimia indulgentia, servique Sosiae
Opera, dolisque suffultus, liberrimam
Agebat vitam, exosus litteras, equis
Abutens tantum, et curribus cum aequalibus.
Pertaesus tandem pater insano filii
Luxu consilium a servo prudens postulat;
Qui paedagogo committendum censuit,
Ut Sophiae studio mores componat suos.
Nicarchi ludum, qui nuper devenerat
Athenis, facile legit Urbis pro gloria.
Verum Philocleontis hospes Clitipho
Adveniens forte mores, atque dogmata
Evulgat prava; hinc ludus non sine strepitu
Dissolvitur; Nicarchus pro merito habitus.
Hoc argumentum fabulae, quae *Philosophus*
Denominata male mulctato de Viro.

*) Scripsit *Pisanus*, recitat *Pamphilus*.

PHILOSOPHUS

ACTUS PRIMI

SCENA PRIMA

Conclave

PHILOCLEON.

Phil. Heu, heu! quidnam istuc est [1])? non luciscit hodie?
Æternum hoc noctis est? diu gallicinium
Audivi: expecto lucem: irrequietus diu
Versor lecto, nec dum lucis crepusculum
Adparet! bonus autem mihi servus Sosia,
Atque beatulus hic gnatus audin', commode ut
Stertant. Mihi autem misero somnus ab oculis
Aufugit: adeo curae cor excruciant mihi.
Quid faciam? Hunc excitabo, lumen ut ferat.
Rationes ineundi tempu' est percommodum.

SCENA SECUNDA

PHILOCLEON, SOSIA.

Ph. Sosia, Sosia [2]). *Sos.* Ohe. *Phil.* Sosia, expergisceris,
An non expergisceris? *Sos.* Eho! hui! *Phil.* Quid, malum!
Hiscis! non ades huc? *Sos.* Quis me volt? ne nunc quidem
Fesso licet quiescere! *Phil.* Non surgis hodie?

[1]) In conclavi haec secum loquitur.
[2]) Stans in eodem Sosiam alta voce exsuscitat e somno, qui hians respondet.

Quid quereris? quid torqueris, ignavissume?
Mane est jamdudum: et ad opus surgunt opifices.
Tu vero stertis involutus stragulis?

Sos. Heu, heu! nox est, here, ne hilum luciscit quidem.

Phil. Quin surgis, quin lucernam adcendis, pessume?
Vin' hodie in lectulo, tamquam in mortario
Ossa tibi contundam? *Sos.* Heu, heu miseram mancipi
Conditionem! en surgam, et lucernam adceudero.

Phil. Expecto, quid facias. *Sos.* Ne scintillam quidem
E silice exsculpo. *Phil.* Ast ego flammam ex hocce capite
Pugnis exsculpam, ni statim huc cum lumine
Ades. Ut scelestus secum solus murmurat!
Nemini ego patri plura acerba ex filio,
Quam mi ex meo gnato evenisse existumo.
Ego misellus res ut meas componerem,
Quot in laboribus noctu simul, ac diu
Non sum versatus? Heu, heu! men' ipse quoties,
Geniumque meum lubens defraudavi et animum,
Rei ut consulerem familiari? Nullus est
Prope dies, quum esuriales ferias meus
Non perageret venter. Quid meus autem optumus
Gnatus? Meus autem gnatus, quidquid ego meo
Malo, et damno compouere potui rei,
Eo laetificatur et in curribus, et equis.
Sosia, adhuc expecto patiens. *Sos.* Mox, domine, mox.

Phil. Dies non praeterit, ni insumatur aliquid
Ad currus, vel ad equorum usum. Nunc audio
Axem periclitarier: novo est opus
Nunc cantho: nunc novellae phalerae sunt upus:
Lupatos nunc frenos parare condecet:
Et mea res interea paullatim defluit.
Hoc mihi ferundum erit? *Sos.* En tibi, mi here, praesto sum.

Phil. Papae [1]! satis perdiligens, frugi et bonae
Servus meus. Macte oh! qui ad id usque temporis
Securus stertis, nihil habens negotii.

[1]) Ironice id dicit.

Sos. Quota hora est? quid negotii incumbit mihi,
Cum nox est? *Phil.* Non taces, pessume [1]? vigilat herus.
Servus dormit? *Sos.* Quia intemperiae herum tenent,
Somnus servum attritum duris laboribus.
Phil. Etiam nunc [2]? etiam nunc? etiam? ni modo taces,
Linguam ex gutture tibi praecidam, furcifer.
Lucernam heic depone, et profer tabulas: lubet
Adcepti, expensi inire rationem. *Sos.* Modo?
Phil. Modo. Au tibi non commodum est? *Sos.* Percommodum.
At, here, nobis oleum in lucerna deficit:
Misella jam spirat. *Phil.* Cur? *Sos.* Nempe quia sitit.
Phil. Quid factum est oleo, quod ego infudi, verbero
Ad saturitatem usque? *Sos.* Ebibit jam ellychnium.
Phil. Cur tam crassum, ac bibulum immisisti ellychnium?
Peream, ni te cruci dedam, mastigia,
Familiaris rei tu tempestas, atque barathrum.
Vel sic tamen spirante lychno, calculos
Inire certum est mihi. Decem ipsi sunt dies,
Viginti cum exegisti nummos aureos.
Estne hoc, quod dico tibi nunc, Sosia? *Sos.* Admodum.
Phil. Quid actum est illis? *Sos.* Defluxere extempulo.
Phil. Hei mihi [3]! perii miser. Tantum pecuniae
Diebus effluxit decem? Dic, pessume?
Sos. Hoc scilicet periisti? hoc mihi tu irasceris?
Meum quasi ad solatium pecuniam
Profuderim: quin potius gnato, quem sinis
Equis abuti et curru; qui patrimonium,
Et rem tuam male vortit, et pessumdabit
Jam funditus? En age incipesse calculos.
Novem pro radiis, atque una pro apside novem
Et viginti denarios: adhuc novus
Canthus, quoniam periclitabatur prior,
Triginta est comparatus nummis. *Phil.* Hui! *Sos.* Magis
Dices hui, cum reliqua accipies. Soleae equis,

[1]) Subiratus dicit.
[2]) Nimis iratus et fere excandescens.
[3]) Exterritus plorat.

Lupati freni, auratae phalerae, ephippia.
Recens ut mos invexit, vix septem aureis
Transacta cuncta. *Phil.* Heu heu me perditum! *Sos.* Tene
Reliqua. Viginti in modios hordei aurei
Decem insumti. Vide, an nunc summa adpareat?
His porro adde alterum tantum, quod jam modo
In fabas, foenumque est insumendum. *Phil.* Tace [1]).
Proh Di immortales! equidem, ubi sim, nescio.
Superbe ut eatur, tantum heu heu! pecuniae?
Ad saccum ne adiget me luxuries filii?
Quid agam miser? [2]) quid ais Sosia? tui peto
Consilii copiam. Num ferundum illud mihi?
Sos. Inops ego consili quid dicam, nescio.
Phil. Dic age, si gnatus esset tuus is, quomodo
Bonam ad frugem reduceres, vel quomodo
Ab tam impotenti equorum studio averteres?
Sos. Oh, si gnatus meus foret, equis jamdiu
Valedixisset. *Phil.* Quare? *Sos.* Quippe sibi inditos
Sensisset frenos, atque equinam scuticam.
Phil. Non placet id consilii; nam unicus est, admodum
Gracilis. *Sos.* Sciebam ego. Ejulato igitur lubens.
Tollunda causa mali, aut ferunda est inopia.
Elige, quod voveas. *Phil.* Mortuum ego me mavelim.
His verbis, Sosia, me adigis ad suspendium.
Non tibi quid melius suppetit, uti leniter
Abducam? *Sos.* Quam damnosa res haec lenitas!
At at, vide consilium si placet. *Phil.* Quid est?
Sos. Tene. Audivi semper studium philosophiae
Ad componendos hominum mores plurimum
Valere; et multos vidi corruptissimos
Juvenes conversos ad frugem bonam, statim
Ac ad philosophos audiendos venerint.
Eccur tuum gnatum in ludum philosophicum
Non immittis? Nostra heic habet in vicinia

[1]) Nimis conturbatus, ac rationibus expensi deterritus.

[2]) Pacato animo a Sosia petit consilium

Nicarchus, qui summa per urbem gloria
Claret: frequens illi satis auditorium.
Trade huic juvenem, si forte coeno excusserit.
Phil. Placet consilium; sed timeo, ut persuadeam.
Sos. Eccur? *Phil.* Quia haud facile est clitellam imponere
Bovi, qui collum pridem submisit jugo.
Sos. Si ne id quidem audes, vanas mitte lacrumas,
Conclamatum est. *Phil.* Recte quidem inquis, Sosia [1]).
Mihimet vim faciam, lenitatemque exuam:
Velit, nolit, certum est ad ludum mittere.
Abi nunc intro: cerne, an exsurrexerit
E lectulo: adduc illum ad me. Verum cave,
Quidquam indicaveris. *Sos.* Nil sane ex me audiet [2]).
Phil. Pater miserior me nec fiet, nec fuit [3]).
Gnatus luxurie se, domumque it perditum:
Ego vero contristare illum non audeo.
Sed perferundum non est amplius: animum
Obfirmabo; si renuet, me alium sentiet.

SCENA TERTIA *

PHILOCLEON, BDELYCLEON, SOSIA.

Bdel. Pater, salve: impera, si quid cupis, nec ero tibi in mora.
Phil. Salve, Diique omnes adjutent te, qui sic patrem colis.
Dic, gnate mi, quomodo te habes? obdormisti noctu bene?
Bdel. Recte quidem, pater, nisi quaedam me agitarunt insomnia.
Phil. Quid somniabas? *Bdel.* Mi videbatur Clinias Megasthenis
Olympico in stadio mecum biga concurrere: ego prior,
Is pone sequebatur: jam jam victor ego metam tetigeram,
Cum equus mihi prae nimio ardore frenum abrumpit impotens,
Laxisque habenis metam sic stringit, vitari ut amplius
Non possiet. Ego tum ego tanto versatus in discrimine

1) Animo pacato, et confirmato haec loquitur.
2) Abit intro.
3) Haec secum loquitur.
* In hac et sequenti scena Plautum secutus Poeta tetrametris imperfectis usus est.

Pol! exclamans, expergiscor tremiscens nimium, et palpitans.
Sos. Apage. Divi omen avertant, diu te servent sospitem.
Phil. O gnate mi dulcissume, horresco tantum discriminis:
Adcipio [1] tamen, agnoscoque Deos, qui te mature admonent.
Bdel. Sunt vana insomnia, pater: nil est, quod paveas. *Phil.* At non sine
Deorum numine haec fiunt, infaustum et tibi praesagiunt,
Ut caveas posthac, fili, in hisce versari periculis.
Da, quaeso, bone, da hanc gratiam patri: nugis his abstine.
Bdel. Ne paveas, pater: ero cautus. *Phil.* Nunquam mala caventur satis.
Divûm monitis obtempera, et scui morem geras patri;
Cedo mi dexteram, fili. Per pietatem tuam rogo,
Veram sectare gloriam. Id videlicet nunc volueram;
Quod mage Divorum auctoritate confirmor. *Bdel.* Quid nempe vis?
Phil. Omissis nugis, ad ludum te conferas philosophicum.
Bdel. Eho! quidnam est hic ludus philosophicus? *Phil.* Nescin'? *Bdel.* Ego (scilicet.
Phil. Est animarum, fili, sapientiorum conciliabulum,
Ubi de Coelo, de Stellis, de Mundo, Chaoque disputant.
Bdel. Mea quid nunc refert his disputationibus dare
Aures? *Phil.* Non recte ais, fili: ista ducunt ad sapientiam.
Numquam ne fando audisti, quanta floreant laude philosophi?
Bdel. Id nescio: hoc unum scio, squalidum, morosum hominum genus
Istud fore, qui nescio quam audent adfectare sapientiam.
Id vitae non placet genus: nec unquam obtemperavero.
Nec enim rideri aequales inter patiar, si me istum in gregem
Compulsum viderint. *Phil.* Non id tuum est, o gnate: rectius
Eloquere. Non tibi stulti aemulandi aequales sunt tui,
Sed qui cordatiores. Est Nicarchus heic in proxumo,
Quem multi ingenui, et aequales celebrant adolescentuli;
Cur non potius hosce imitaberis? hem fac, quaeso, periculum:
Paulisper experire: facias quod multi frugis bonae,
Ut animum ad studium adjungas: ibi res, ibi honores, ibi gloria.
Bdel. Qui tibi nunc istuc in mentem venit? Non possum, mi pater.
Phil. Cur non? Fac possis. *Bdel.* Quonam possim pacto hunc animum vincere,
Qui illarum rerum adfluis est, quales fert adolescentia?
Sos. Atqui alii id aetatis meliora sectantur, Bdelycleon.

[1]) Quasi divinans haec dicit, et leniter precatur filium.

Phil. Te nunc hoc progredi pacto credis, vivo patre? Non erit [1].
Sos. Probe. *Phil.* Ne plura: Nicarchi ad ludum pergas hodie volo [2].
Sos. Papae! *Bdel.* Nequaquam ita fiet [3]. *Sos.* Bona jam verba precor [4].
(Bdelycleon
(Vocem tolle: increpa vehementius). *Phil.* Non fiet [5]? Pervicax,
Vecors, impie juvenis: paterna jussa non revereberis?
An ergo sic in desidia tu perges porro vivere?
Atque paternam rem, quae tanta cum industria parta est mea,
In equis, et curribus conficere? Falleris: tibi nec pater,
Nec res est amplius: meo e conspectu dispare cito.
Sos. [6] Sat commode, mi here: abi nunc intro: permitte mihi caetera.

SCENA QUARTA

Domus

SOSIA, BDELYCLEON.

Sos. Quid est, Bdelycleon? cur tam obstinato es animo? Tibi pater
Optuma suadet. *Bdel.* [7] Tun' deeras, mastigia. Ecce adgredimini
Ex compacto: quid tibi negoti mecum est, mancipium nequam?
Sat sapio: satis in res, quae sint meae, egomet prospicio mihi.
Sos. An id sapere est [8], ut dicta benevolentis respuas malus?
An me seni potius, adolescenti quam hero obsequi putas?
Atqui putabam tibi amorem meum fore probatum satis:
Propterea tibi moeroris omnem maculam volui abstergere.
Falsus fui. Sed tua plus, quam mea id interest: abeo lubens.
Bdel. Quo abis? *Sos.* Quo herus me volt: nihil mihi tecum est negotii.
Bdel. Ut bellus es homo! *Sos.* Quin bellua potius: idcirco abeo tacens.

[1] Graviore vultu, ac voce haec dicenda.
[2] Gravi vultu, ac minaci stat senex.
[3] Obstinato animo se monstrat juvenculus.
[4] Sosia blande juvenem hortatur ad sequenda patris jussa. Dein secreto monet senem, ut increpet acrius.
[5] Vocem tollit senex, atque iratus haec minatur.
[6] Ad senem secreto dicit.
[7] Excandescens in servum dicit.
[8] Sosia retundit acriter verba adolescentis; deinde se blande insinuat.

Bdel. Siste hic. *Sos.* Quid ita? *Bdel.* Quia scire ex te volo, quo pacto abs-
(tergece
Moerorem mihi parabas. *Sos.* Fcustra est, Bdelycleon, quod flagitas.
Bdel. Eccur? *Sos.* Quippe aequom tibi non est homini nequam fidem dare.
Bdel. Id ne cura; dic, quod modo incipiebas dicere. *Sos.* Eloquar;
Sed cave, adhibeas fidem. *Bdel.* Vide, ut me iccides, pessume. Eia age,
Dic, si quid habes. *Sos.* Valde mane ante lucem me excivit patec,
Nimia cocceptus ira voluit rationes subducere
Adcepti, et expensi. Quid facecem? Oportuit in summam dare,
Quae equestcem in cem, tuosque in usus erogavecam miser.
Ipse autem nimio plus queri, tundi, irasci, excandescece:
Mox vero minitaci in vincla dare, et exhaecedem scribere.
Bdel. Quid tu? *Sos.* Quid? mollibus verbis lenire: aetatis impetum
Pcaetendere, et saecli mores, necnon exempla aequalium.
Ipse autem sempec magis ac magis incendi, et extcema omnia
Minari. Quum hac nil pcoficerem via, alia occepi pergere.
Hortatus blandiendo potius, quam avorsando te ad bonam
Reduceret frugem: qui in filios succensent leniter,
Sapiunt magis; tandem impetravi, ut auctorem me fececit,
Quid consilii capesserem. *Bdel.* Quid tum? *Sos.* Mihi tunc uno in pede
Stanti nil melius succucrit, quam ut tibi mentem Philosophiae
Praeceptis imbueret, atque juvenilem focmaret animum.
Consilium placuit. *Bdel.* Macte me occidisti istac sapientia.
Sos. Melius ergo, ut te in caveam daret, et exhaecedem scribecet?
Bdel. Egone ut verser quotidie cum difficili et moroso sene?
Qui me severis obtundat verbis vanac sapientiae?
Sos. Non tu taces? Ausculta dum, quomodo tibi prospexerim.
Nempe ut tibi consulecem, suasi, ut te ad Nicarchum mitteret.
Bdel. Quid inde boni? *Sos.* Quod modo nescis, puec, rescibis postmodum.
Non hic Nicacchus macilentus homo, austerus, tcistis, sordidus,
Quales andisti ceteros philosophos; sed percommodus,
Ac nitidus, curata bene cute; ad summam Epicuci de grege.
Is non severam virtutem, at voluptatem sectarier
Docet. Ne ista quidem tibi placet doctcina? *Bdel.* Utinam et senex patec
Nicarchi auditor fiat, si sunt vera, quae narras mihi.
Sos. Ita ego sim libec. Ne igitur patrem exasperes: pecimulum
Fac: sine te ad Nicarchum adduci, volensque morem illi gere,

Concepta dum deferveat ira: mox argumenta hauries
Philosophico ex ludo, quibus rudem senem persuadeas,
Voluptati indulgendum ex ingenio. *Bdel.* Non sperandum id quidem.
Sos. Certe magistri auctoritate temet contutabere.
Bdel. Recte mones. *Sos.* Nunc recte moneo: nuper veluti belluam
Me abigebas. *Bdel.* Oh! missa haec facias. Quid nunc memoras, mi Sosia,
Quae in aestu irae sine mente effutiuntur? Amorem tu meum
Noris, egomet tuum. Ne plura: vade nunc intro ad patrem.
Dic, me sibi morem gerere. *Sos.* Quin potius te ipsum ire addecet.
Vade: manum exosculare, veniam pete, deinde illi tua
Omnia permitte: sic senem delinies, reddes tibi
Facillimum. *Bdel.* Ut mones, faciam: ad ipsum pergo. *Sos.* Di te juvent [1].

SCENA QUINTA

Domus

SOSIA.

Id vero est servum frugi esse, et domino utilem.
Opportunis aliquot meis fallaciis
Hoc difficillimum expedivi iter statim.
Operamque navavi bonam gnato, et patri.
Equis abstractus ille opellam philosopho
Dabit, et me aliquantisper sinet quiescere:
Senex hic filio, et rei domesticae
Consultum ducet, aeternis nec jurgiis,
Querelisque obtundet miserum. Euge, Sosia,
Prudens uno in saltu binos cepisti apros.

[1]) Bdelycleon abit ad patrem. Sosia solus loquitur laetus.

SCENA SEXTA

Domus

SOSIA, ET PHILOCLEON.

Sos. Sed eccum herum: ut laetus graditur! Salve, mi here.
Phil. Salve, mi Sosia. Gratias tibi maxumas
Ago, quod fide, prudentia, ac verbis tuis
Fecisti, ut gnatus resipisceret, et se patri
Morigerum praeberet. Felix nimis dies!
Lacrumas cohibere non quivi prae gaudio,
Cum gnatus ad me venit facti poenitens,
Mihique se totum tradens. *Sos.* Gaudeo tuis
Gaudis: quod ad me enim, nil est quod gaudeam.
Phil. Quare? *Sos.* Quia nil pro bene facto mihi obtigit.
Phil. Quidum? Nonne modo herus tibi egit gratias?
Sos. Verbis? *Phil.* Verbis. *Sos.* At pro male facto non item
Verbis, addis verbera. *Phil.* Ah ah lepidus es,
Sosia. Nunc hoc agamus, quod mage interest.
Nicarchum convenire opus est, ut filium
In ludum recipiat suum. *Sos.* Recte autumas.
Phil. Tu me praeito, atque ostium pulsa. *Sos.* Ut lubet [1].

SCENA SEPTIMA

Via

SOSIA, PHILOCLEON, STRATILAX.

Sos. Ehodum quis has fores servat? nullus aperit?
Emortui omnes sunt, an dormiunt adhuc [2]?
Str. St, st. *Sos.* Quid est? *Str.* Tace. *Sos.* Quid taceam? *Str.* Oro, vocem preme.

1) Accedunt ad ostium domus Nicarchi, et Sosias ostium pulsat.

2) Stratilax apparens silentium imponit.

Sos. Est hic meus herus, qui Nicarchum convenit;
Sine introire. *Str.* Oh apage: ne faxit Deus.
Non licet. *Sos.* Eccur non? *Str.* Quia tempus non est adhuc.
Sos. Nescio quid dicat. *Phil.* Sine me. Nicarchus domi est?
An non? *Str.* Est, et non est. *Phil.* Ænigmata loqueris.
Str. Oh! tardus es, senex. Corpore quidem domi est,
Animo autem non est. *Phil.* Quidum? *Str.* Quippe nubila
Transcendit, coelum vestigans, et sidera:
Solem palmo metitur, et lunam. *Phil.* Papae!
At quo pacto noris tantum emensum esse iter?
Str. Quia solitus est is matutino tempore
Coelum deambulare. *Sos.* Ita prorsus est, here [1]),
Quippe involutus totus pallio sedet,
Quasi egressus calenti sudatorio,
Ut nempe vitet matutina frigora.
Str. Quo pacto ipsum vidisti? *Sos.* Hujus mentis acie,
Quo nempe pacto contemplatur sidera.
Str. Abscede hinc: in foramen immittis oculos?
Sos. Nequaquam immisi, sunt enim suo loco.
Str. Atque ego tibi ambos effodiam, si introspicis
Iterum. *Phil.* Sinas me paulisper specularier.
Str. Minume, minume inquam: scelus est illud. *Phil.* Quippini?
Str. Quippe haud licet aliena perscrutarier.
Sos. An coelesti exturbatur ab itinere? *Str.* Tace,
Nequam. *Phil.* Sine me; namque ejus discipulus volo
Fieri. *Str.* Tun' silicernius in ludum denuo?
Phil. Ita per Jovem: idcirco ipsum conventum volo.
Ergo sine, me magistrum speculari meum.
Tene [2]). *Str.* Oh! quando discipulus ejus discupis
Fieri, huc adcedas pedetentim, ac introspice;
Sed cave, ne tussias, ne crepites, ne exspuas,
Ne sternuas. *Sos.* Ne respires, ne palpites.
Str. Tace, caput verbereum. Nam dum totus est
In meditando, si assultu aliquo eum excusseris,

[1]) Sosia per foramen Nicarchum videt, ut facete describit.
[2]) Nummum porrigit servo.

Conceptas animo cogitatiunculas
Abortire statim facies. *Phil.* Ne dubita, bone.
Satis cautus ero: ne respirabo quidem.
Sos. An non satius est nasum prius emungere?
Ne forte in emungendo clangore quatias,
Vel deorsum crepites. *Str.* Recte monet *emungere*.
Phil. Uti jubes [1]). *Sos.* Cave, ne fiat abortio.
Phil. O quam facetus es hodie; jam nunc tace.
Sos. Non addam ultra verbum. *Phil.* Hem [2])! parturienti quidem
Similis est admodum herus tuus. Ventre gravido,
Ac bene saginatus connitens assidet.
Dic, quaeso, quid negoti illud glomeramen est,
Quod contra habet, in quo tot volvuntur circuli?
Str. Scilicet illa est astronomia: illac ambulans
Coelum metitur et sidera. *Phil.* Mira aedepol
Narras. Quid vero alter globus cucurbitae
Instar? *Str.* Geographia nempe est, quo terram, et mare
Graditur. *Phil.* Papae! Ecce nunc exsurgit.... hem salit,
Ut hinnulus. *Sos.* Profecto parturiit. *Str.* Mane heic:
Sine, introeam; cum tempus erit, adcibo te [3]).
Phil. Quid hoc negoti est? aqua de tecto infunditur!
Sos. Heus tu, heus vide, quid agas: non tu potius caput,
Et brachia mittis deorsum, stolida bellua?
Phil. Hui! ut putet [4])! Sosia, prope adcede, olface,
Vide, quid sit. *Sos.* Proh Jupiter! de matula
Descendit imber. *Str.* Ah, ah, ah. *Sos.* Irrides furcifer?
Dispeream, nisi te quisquis es, miseris modis
Hodie eradicem, hominum propudiosissime.
Phil. Nae lutulentum Di fecerunt mihi diem:
Omen minume placet. Revortamur domum.
Sos. Non sic tamen abibit tibi: mox rediero,
Atque exitiabilem ego tibi faciam hunc diem.
Phil. Veni mecum. *Sos.* Mox senties, qui vir siem. [5])

[1]) Nasum emungit.
[2]) Oculum mittens apud foramen introspicit.
[3]) In pallium Philocleontis matula lotium demittit.
[4]) Philocleon olfacit.
[5]) Abeunt intro, Sosia minitante.

ACTUS SECUNDI

SCENA PRIMA

Domus

NICARCHUS, STRATILAX.

Nic. Quomodo tu istuc dixisti, Stratilax, senem
Adprime divitem, qui heic habet in proxumo,
Me convenisse nuper, auditor meus
Ut fieret? *Str.* Hoc modo. *Nic.* Quod illi nomen est?
Str. Philocleon. *Nic.* Quo pacto tu illum noscitas?
Str. Quia is noster vicinus est. *Nic.* Cur non ego?
Str. Quia tu saepe in Epicuri intermundis lates.
Nic. Quid nunc factum est eo? *Str.* Quis scit? Disparuit.
Adcivi illum, nec inveni. *Nic.* Cur non statim
Duxisti? *Str.* Quod tibi meditanti incommodum,
Et saepe vetuisti, ne quem introducerem
Primo mane. *Nic.* Nec adhuc didicisti, pessume,
Pecuniosum hominem haud teneri legibus?
Str. Non equidem didici; at me, cui nil peculii est,
Tuis teneri legibus certe scio;
Secus non toties me misellum tunderes.
Nic. Babae! recte arguis. At nunc quid factum est eo?
Str. Id juxta tecum nescio. *Nic.* Vapula igitur [1]).
Str. Quid vapulem? *Nic.* Quando tua imprudentia
Abduxti divitem senem ab auditorio.

[1]) Magistrali ferula servum verberat.

SCENA SECUNDA

Domus

STRATILAX, NICARCHUS, PHILOCLEON.

Str. Hem crepuit ostium. *Nic.* Accurre, vide, qui siet.
Str. Quis januam pulsat? *Phil.* Adeundi tempus est?
Str. Quem quaeris? *Phil.* Nicarchum. *Str.* Quis es? *Phil.* Philocleon.
Str. Mane heic. Oh, quid mihi dabis nunc praemii,
Si Philocleontem invenero? *Nic.* Colaphos tibi
Sexcentos infringam, ni dixeris, ubi is est.
Str. Foris praestolatur. *Nic.* Foris? *Str.* Extra fores.
Nic. Nec introducis eum, stipes stolidissume?
Peream, ni te in crucem dedo. *Str.* Ne clamita:
En introducam. Ingredere jam Philocleon:
Nicarchum adloquere; sed paucis res expedi,
Ne morosus in aliena pecces commoda.
Phil. Etsi nullus moneas, memini officium meum.
Nicarchum jubeo. *Nic.* Di te bene ament, o senex,
Quisquis es, unde advenis? vel quid me postulas?
Str. Nonne modo praedixi tibi? *Nic.* Scin', quo modo
Se res habet? *Str.* Quo? *Nic.* Si non hodie cepero
Fustem, nunquam tacebis. Sta in tuo gradu:
Illic adstato: ne obloquere: ne muttias.
Str. Peream, si verbum addam. *Phil.* Nae graphicum servum habes,
Nicarche. *Nic.* Quid facias? levi est mente, attamen
Frugi. Sed ad sermonem redeamus. Quis es?
Quid quaeris? *Phil.* Philocleon vicinus hic tuus,
Si fando audisti. *Nic.* Tun' Philocleon? *Phil.* Ipse ego.
Nic. Tun'? o diem auspicatum! sine, te amplectier [1]).
Parcas, quaeso, si te facie non noveram,
Utpote qui perpetuis meditationibus

[1]) Admirabundus ait, et Philocleontem amplecti studet.

Ingurgitatus vivo; at cui Philocleon
Non dictus probus, et sapiens priscis moribus?
Dic ergo, quid me vis? *Phil.* Volo te pauculis
Verbis, si non molestum est. *Nic.* Age, roga, jube
Quaecumque vis. *Phil.* Magnas tibi habeo gratias.
Huc ergo tu animum advorte, ut recte intellegas,
Quod ego ad te venio. *Nic.* Totus in hoc sum: age, loquere.
Phil. Unicus est mihi gnatus jam grandiusculus;
Namque ipsi quindecim sunt anni, cum bona
Uxor mea, qua cum sine querela jam novem
Et viginti annos vixeram, in lucem dedit
Festis Megalensibus. Tantum sed gaudium
Dolor occupavit. Heu! heu! mox puerpera
Fato functa est acerbo, meque orbum senem,
Et desolatum linquens, puerumque orphanum.
Str. Advesperascet citius, quam hic sermo explicit [1].
Phil. Hoc ideo enarravi, ut noscas, quam diligam
Gnatum, quem sine matre miser nutrivi senex.
Nic. Teneo. Quid inde? *Phil.* Is bonus, et frugi est filius;
Nisi quod suorum aequalium adsuetudine
Equestris eum invasit morbus. *Nic.* Cujusmodi
Hic morbus siet, ignoro. *Phil.* Oh non intelligis?
Equos, currus, bigas, stadium usque deperit.
Nic. Rem teneo: atque id quidem facit juveniliter.
Phil. Ita prorsus. Ast id mordet, quem sumptum facit
Nimium, ut res parta tot meis laboribus
Brevi defluat, atque ad quaestum redigar senex;
Meum pectus pulsat simul eum ineptiis
Totam navare operam, neque adhuc intendere
Ad virtutem animum. *Nic.* Recte censes, Philocleon.
Phil. Idcirco tibi, qui adeo polles sapientiae
Fama, ipsum quamprimum tradere decreveram,
Ut pro tua doctrina excoleres sedulo.
Nic. Pol! optumum, atque aequissumum a me postulas.
Phil. Idcirco nuper ad te oratum veneram;

[1]) Inquit secreto.

At modo foedum omen incepto me absterruit,
Meumque incestat animum. *Nic.* Quid negotii est?
Phil. Dicam. Nuper, cum ad te rogatum venerim,
Tu parturiens vagabaris per aethera.
Nic. Egon'? *Phil.* Tu. Sic mihi tuus narrabat puer.
Nic. Hic nempe stipes? *Phil.* Scilicet. *Nic.* Tu nunc taces [1]?
Phil. Ego interea opperiebar te patiens foris,
Cum ex improviso imber ab alto foedissimus
Descendit, qui mihi conspurcavit pallium.
Nic. Dic planius: unde imber? *Phil.* Tuo ex solario.
Nic. Cujus odoris erat? *Phil.* Lotii. *Nic.* O foedum nefas!
Dic mihi tu: ecquis mane recentavit matulam [2]?
Non respondes? Fuste hoc faciam, ut respondeas.
Str. Nuper tu interminasti, ne quid hiscerem:
Quid hoc? malum! loquor; tacere me jubes;
Tacentem fuste plectis. Heu, hui, hui miser.
Phil. Nicarche, caedis insontem et simplicem hominem,
Qui tecum erat, interea dum effusa est matula;
Nec narravi idcirco, ut tu poenas sumeres
De imprudenter facto; at quia omen non placet.
Rogo igitur, ut prius hunc evellas scrupulum.
Nic. O quam bonus es vir! credisne Deorum genus
Beatissimu' curare nostras matulas?
Phil. Num Divis mortalia curae esse pernegas?
Nic. Non equidem nego: sed istaec foetida haud decet
Divos curare, quae casus quidam regit.
Phil. Cujus naturae hic est casus? *Nic.* Ehem non licet
Tibi sic philosophiae adire penetralia.
Quietus esto vel meo periculo:
Mitte haec scrutari: imo doceri filium:
Is postmodum tibi explanabit omnia.
Phil. Ut vis. Decet sapientiori credere.
Quod igitur faustum, felixque siet, filium
Ad te mox mittam. At quod minerval offeret?

[1]) Ad servum Stratilacem.
[2]) Ad servum Stratilacem, quem postmodum fuste plectit.

Nic. Non vili sapientes pretio operam locant;
Mercedem nec paciscuntur, Philocleon:
Quod justum fuerit, quod tibi videbitur,
Dabis. *Phil.* Igitur sine me, novi officium meum.
Id unum te rogo, ut eum erudias sedulo.
Nic. Mitte ulterius rogare. *Phil.* Non addam amplius
Verbum: tuae fidei committo filium.
Nic. Numquid me vis aliud? *Phil.* Di te bene ament. *Nic.* Vale [1].
Str. Vale. Oh! tandem abscessit morosus hic senex.

SCENA TERTIA

Domus

BDELYCLEON, SOSIA.

Bdel. Sosia, adesdum. *Sos.* Quid me vis? *Bdel.* Dic, ubi est pater?
Sos. Nuper conventum abiit Nicarchum, ut te in scholam
Recipiat. *Bdel.* Quando nam istud fiet? *Sos.* Modo. *Bdel.* Modo?
Pol! me occidisti, Sosia. Sed ineptus es,
Si tu autumas hodie me in ludum extrudere.
Sos. Egon'? nae stultus sim, si mea quid interest.
At non tu modo lubenter assensus patri?
Quid istaec levitas? anne homo est, qui sic suum
Immutet animum? *Bdel.* Assensus licet ingratiis
Hortatu patris, et tuo, ut me ad Philosophum
Reciperem; at non hodie id facturum censui.
Sos. Nempe ad Kalendas Graecas. Quid, Bdelycleon,
Ista cavillatio est? *Bdel.* Quae festinatio est?
Quid interest, si aliquot differtur in dies?
Sos. Non id valde interest; sed patri ut obedias,
Eumque ne irrites rursus, magni interest.
Bdel. Ne me ultra obtundas, Sosia: stat sententia:
Aliud curandum est mihi hodie. *Sos.* Fac ut lubet.

[1]) Abit Philocleon.

Sed eccum patrem, qui properat ad nos citus.

Bdel. Heu, heu me perditum! Vide, qui me adjuves.

Sos. Ne temere facias: attende mihi, ut te juvem.

SCENA QUARTA

Domus

PHILOCLEON, SOSIA, BDELYCLEON.

Phil. Salve, fili: transacta jam sunt omnia
Cum philosopho Nicarcho. Te manet domi:
Comis homo est, blandus, facilis, et percommodus:
Doctus praeterea, et sapiens ad miraculum.
Ne mora igitur, fili, felici cum omine
Ad ipsum te confer: doctus, prudens redi.
Nil respondes? caperat frons aegritudine?
Quid hoc negotii est? *Bdel.* Ehem tam cito, pater?
In alium non potest id differri diem?

Phil. Quod licet hodie, cur differas in crastinum?

Bdel. Non commodum satis hodie: caput dolet.

Phil. Rem teneo, cur caput doleat. Proinde tu
Sic habeas: vel statim te in ludum conferas;
Vel patrem censeas te nec habere amplius.
Hoc denique intellextin'? an non dum hoc quidem?

Sos. Here, ne irascaris modo, neve aliorsum accipe,
Atque hic putat. Namque haesitat juvenculus
Jugo insuetus collum cito submittere;
Idcirco tergiversatur aliquantulum.
Sed ne dubites: obtemperabit sedulo.

Phil. Utinam istuc verbum ex animo, et vere diceres,
Sosia! non viden', ut obmutescit pertinax?

Sos. Is pudor est patris. Adfirmat autem, qui tacet.
Vin', Bdelycleon? geresne morem tu patri?

Bdel. Semper paternis servitutem servii
Imperiis. *Sos.* Nec posthac igitur eris in mora?

Bdel. Ita prorsus. *Sos.* Osculare ergo manum patri,
Atque ad praeceptorem pergamus. Nonne vis,
Ipsum deducam ad Nicarchum? *Phil.* Nempe id volo.
Sos. Factum puta. *Phil.* Nicarcho dic, ut sedulo
Illum excolat. *Sos.* Hoc memini: numquid aliud? *Phil.* Redi huc
Quanto citius. Tuque memento officium tuum [1]).

SCENA QUINTA

Domus

BDELYCLEON, SOSIA.

Bdel. Vide, cujus sum fretus auxilio. Tibi
Vel magnas habeo gratias, qui funditus
Me perdidisti. Nunc mihi nil restat aliud,
Nisi ut peregre domo abscedam; nam si putas
Me in ludo includere, toto coelo falleris.
Sos. Quae te hodie dementia cepit, Bdelycleon?
Bdel. Tu demens, stultus, iners, nullius consili.
Sos. Atque haec libenter patior, qui a puero te amem.
Unum aegre fero, quod benevolentis repudies
Monita: sed dic mihi, cur tantopere abhorreas
Ludo, qui nuper illuc ire adsenseras?
Ut te mea adjutem opera, quantum in me situm est.
Bdel. Dicam, quantumvis, ut me adjutes, vix putem.
Nuper, cum abesses, me convenit Clinias,
Qui me in certamen provocavit publicum
Equorum. Quid facerem? *Sos.* Curis domesticis
Detentum diceres. *Bdel.* Nempe, ut ludibrium
Cunctis deberem, qui certamen frivolis
De causis detrectarem, et urbis fabula
Fierem? *Sos.* Ad summam ergo in certamen descendere
Spopondisti? *Bdel.* Ita prorsus. *Sos.* Et in praesentem diem?

[1]) Ad Bdelycleontem filium.

Bdel. Scilicet. *Sos.* Inveniundum igitur aliquid est mihi,
Qui te hoc malo expediam. *Bdel.* Qui me expedias, rogo,
Quem tu consiliis impeditum sic vides?
Sos. Spero equidem. *Bdel.* Nempe ut modo fecisti. *Sos.* Imo melius.
Bdel. Te per Deos, nostramque amicitiam rogo,
Si tauti es, ne me destituas, modo opem feras.
Sos. Etsi minus deberem ingrato ferre opem;
Tui tamen me miseret. Vade, quo cupis;
Tantum cave, ne patri occurras: relliqua
Ego adcurabo. *Bdel.* Quid facies, ne se pater
Delusum sentiat? *Sos.* Alium ornatu tuo,
Tuoque sub nomine juvenem deduxero
Ad Nicarchum, qui te non novit. *Bdel.* Optume.
Homo es. *Sos.* Stultus, iners, et nullius consili.
Bdel. Missa istaec jam facias, Sosia, magnus vir es,
Fateor. Nunc id agas, oro: me totum tibi
Committo. *Sos.* Abito, quo cupis, et cave, pater
Te videat. *Bdel.* Occultare me sat novero.
Sos. Heu quam miserum est duobus servire dominis!

SCENA SEXTA

Schola

NICARCHUS CUM DISCIPULIS.

Nic. Favete linguis, discipuli, et advortite
Totam mihi mentem dictanti, verbaque
Nec somnolenter excipite. E penetralibus
Enim sapientiae, quo unus pervenit olim
Epicurus, maximo sunt deprompta studio.
Haec vos reddent felicitatis compotes.
Siquidem universam hujus mundi adspectabilis
Compagem non mens aliqua olim, non artufex
Manu coagmentavit solertissuma;
Sed fortuito, concurrentibus atomis,
In hanc formam excrevit, quam hodie nos cernimus

(Nec dum quiescitis? facite silentium);
Hinc est, ut nec prudenti quis regat manu,
Sed sponte sua singula ferantur corpora:
Et caeco quodam instinctu. Ergo sine numine.

Disc. At at, Magister, non ego belle intellego,
Instinctus caecus hujuscemodi quid siet.
Instinctus si est, aliquis profecto instinxerit
Oportet. *Nic.* Hem! nos instinctum bene dicimus
Motum illum, quo primae cientur et atomi.

Disc. Quis motum illum impressit? *Nic.* Nemo. Namque insitum est.

Disc. Quis inseruit? *Nic.* Natura... Quae petulantia.

Disc. Quaenam haec natura? Numen, an quidquid aliud?

Nic. Ohe sat puer interrogatiunculis
Tuis ineptis nos necasti: jam tace.

Disc. An non interrogem, quae minus intellego?

Nic. Quia bardus es tu, idcirco non intellegis,
Quae Epicurus intellexit, et Democritus.

Disc. Scilicet: haec magna me persuadent nomina.

SCENA SEPTIMA

SOSIA [1]), STRATILAX, CHARINUS, NICARCHUS.

Sos. Licetne Magistrum interpellem pauxillulum?

Str. Minume, minume licet, dum seriis vacat.

Nic. Quid ais tu? *Str.* Importunus homo interpellans venit.

Nic. Quis est? *Sos.* Philocleontis servus Sosia.

Nic. Quid cupis? adcede huc; sed perpaucis te expedi.

Sos. Tribus verbis. Tibi salutem plurimam
Herus dicit Philocleon, et simul suum,
Quem conspicis, Bdelycleontem filium
Ex condicto remittit ad te, ut pro tua
Belle instituas sapientia, et prudentia,
Fideliter, atque sedulo; namque unicum
Tibi tradit gnatum, in quo spem repositam habet

[1]) Sosia cum juvenculo quodam Charino Bdelycleontis nomine ad Nicarchum se confert. Juvenculus ne verbum quidem dicit; Sosia pro eo respondet.

Omnem senectutis. Majorem ergo in modum
Tuae commendat fidei, eumque, ut alterum
Gnatum colas, atque amplectaris, obsecrat.

Str. Plus quam trecentum effudit pro verbis tribus [1]).

Nic. Non tu taces [2])? fidelis servus, et catus
Est, qui sic domini procuret negotia.
Dic mihi Bdelycleon [3]), quot annos natus es?

Sos. Vix quintodecimum excessit aetatis suae.

Nic. Numne cupis doctus vir, beatusque fieri?

Sos. Ita: id sane unum flagitat, avet, deperit.

Str. Per procuratorem etiam loquitur pupulus [4]).

Nic. Cur non respondes? *Sos.* Parcendum adolescentulo
Tyroni, si tui ob verecundiam silet.
Ingenui pudor est. Ceterum mentis acie
Pollet quamplurimum. *Str.* Oh fronte ex ipsa patet.
Simulacrum hominis videtur mi potius, quam homo.

Nic. Mihi igitur, puer, animum advorte, et mentis aciem.
Siquidem sciendi ardor te invasit plurimus,
Bono sis animo: via patet facilluma.
Ducem me deinceps, imo alterum habebis patrem,
Qui te rursum edat in lucem pulcherrimam.
Hodie tu nasceris. *Str.* Nunc demum intellego.
Idcirco non is loquitur, quippe infantulus:
Nunc adcuranda pupulo incunabula.

Disc. Ah ah ah ah. *Nic.* Quid istuc est, pueri? ridendi nunc locus,
Tempusque est? quae vobis risus occasio?

Disc. Nos Stratilax suis ciet facetiis.

Nic. Ain' verbero [5])? facetiis heic est locus?

Str. Facetiis minume: sed dixi serio:
Nutricem comparandam huic infantulo.

Nic. Atque ego tam maculosum corium reddam tibi,
Quantum est nutricis pallium, mastigia [6]).

Str. Hui, hui! hui! nimium est: heu pereo. *Nic.* Jam vapula.

Sos. Nae athleticus ludus hic est, non philosophicus.

[1]) Ita ait impatiens tot verborum.
[2]) Ad servum suum.
[3]) Ad juvenem adductum a Sosia.
[4]) Apud se.
[5]) Ad Stratilacem subiratus.
[6]) Servum fuste petit.

ACTUS TERTII

SCENA PRIMA

Via

PHILOCLEON, STRATILAX.

Phil. Nec dum comparet Sosia, nimis jamdiu est,
Cum ad Nicarchum misi deductum filium.
Quam vereor, ne bonus ille meus gnatus novi
Aliquid tentaverit, ne in ludum pergeret.
Quid sto? Nicarchum adibo, ut factum noscitem.
At at, ni fallor, ille est servus Stratilax,
Qui se in viam dat. Heus tu, heus, o Stratilax.
Str. Quis me volt [1]? *Phil.* Respice huc. *Str.* Respice? non id meum est.
Dic, ut te sors respiciat. *Phil.* Advorte huc, rogo.
Str. Advorte? nequaquam; nam recta ut pergerem
Herus jussit. *Phil.* Ne dubita; parcet namque herus,
Cum mihi dedisse operam audiet. *Str.* Non audiet,
Sed audiam. Num mihi tu excuties verbera?
Phil. Quid si nummum duim? *Str.* Hocce pacto te audiam,
Respiciam, advortam, faciam, quidquid imperas;
Docuit nam dominus non teneri legibus
Opulentos homines. Hem! tun' es Philocleon?
Phil. Ego ipse... accipe [2]. *Str.* Hui! quam minutus nummulus!
Quid me vis? *Phil.* Paucis te volo. *Str.* Oh! credibile non
Est id. *Phil.* Cur non? *Str.* Quia tu paucis nescis loqui.
Phil. Eja age, ludicra nunc mitte, Stratilax, rogo.

[1]) Stans facie adversa, qua pluries respondet.
[2]) Nummum porrigit.

Dic mihi: venit ne modo ad Nicarchum Sosia?
Str. Ita prorsus. *Phil.* Adduxit ne secum filium?
Str. Cujus ne filium? *Phil.* Meum. *Str.* Oh tibi gratulor,
Quod tantum filium domi habebas conditum
Pro thesauro. Ideirco non videram amplius.
Phil. Venit igitur? *Str.* Venit. *Phil.* Quidnam dixit, rogo.
Str. Quid diceret, si infans adhuc est? *Phil.* Quomodo
Infans? nonne is justa statura, et pubes est?
Str. Etiam. Sed qui non fatur, est infantulus.
Phil. Quo pacto hoc dicis? *Str.* Hoc pacto: ne syllabam
Quidem edidit. *Phil.* Mirum certe narras. *Str.* Mihi
Quoque fuit mirum; sed mirari destiti,
Cum novi in lucem hodie datum. *Phil.* In malam crucem
Tuis cum ineptiis. *Str.* Ita amet me Jupiter,
Ut vera praedico. Magistrum interroga,
Ni credis. *Phil.* Abi, quo abis: non amplius moror.
Str. Vale [1]). Ut lepidus est! stipitem pro filio
In ludum misit: nunc a me expiscarier
Volebat, num fraudem cognoverim suam.
Phil. Quid iste obganniat, nescio. Sed id mea
Nil interest. Modo gnatus ludum iniverit,
Multo omnium nunc me fortunatissumum
Factum puto; nam sic coepit resipiscere [2]).

SCENA SECUNDA

Via

CLITIPHO, SOSIA.

Clit. Hisce locis dictus est habere Philocleon
Vetulus hospes meus. Nemo est, ut sciscitet.
En apparet homo, qui rectam huc habet viam.

[1]) Sequentia verba apud se dicit, ita ut senex non belle intelligat.
[2]) Ambo discedunt.

Siste parum, sodes. *Sos.* Quin adde gradum dicito.
Clit. Mane dum, quaeso, ut unum tantum interrogem.
Sos. Potin' me adire, quo profectus sum, sinas?
Clit. Quae tanta festinatio est? sic advenam
Hominem repellis? *Sos.* Oh! molestus tu vir es.
Clit. Quis tibi metus, si horae momento restitas?
Sos. Ingens, pol, exoritur metus scapulis meis.
Jamdudum factum est, cum domo exivi, atque herus
Me manet impatiens. *Clit.* Atqui mercedem dabo,
Tantum si monstres mihi, ubi habet Philocleon.
Sos. Philocleon? *Clit.* Nempe! *Sos.* Poliphontis filius?
Clit. Is nempe. *Sos.* Ipsum tu quaeritas? *Clit.* Ipsissimum.
Sos. Quid quaeris? *Clit.* Nil pericli nunc est in mora?
Hospes vetus est meus: volo ipsum visere.
Sos. Oh quando id est, Philocleontem statim dabo.
Herus is meus est. Sed unum te oro (quod tibi
Est nomen?) *Clit.* Clitipho. *Sos.* Unum te oro, Clitipho,
Ut si nimiam ob moram increpuerit me senex,
Te in cursu me detinuisse invitum adseras.
Clit. Ut callidus homo es! *Sos.* Annon properabam citus?
An non scitando detinuisti? *Clit.* Age, ut lubet.

SCENA TERTIA

Via

PHILOCLEON, SOSIA, CLITIPHO.

Phil. Ecquis fores pulsat? *Sos.* Sosia tuus sum, here.
Redis tandem pessume? quid adcurasti adhuc?
Sos. Aliquantisper quidem cunctatus sum; at vide,
Quisnam morae auctor fuerit, quem ad te perfero.
Phil. Quis est? *Clit.* Non me noris? *Phil.* Non mihi nova facies
Sodes: incertus at haereo: fallit memoria
Senem: ignosce, precor. *Clit.* Clitiphonem Antisthenis
Non agnoscis? *Phil.* Hem! ipse es! recordor nunc probe:

Salve, caput dulrissumum, optumi viri
Germen. *Clit.* Te omnes Dii juvent, Philocleon.

Phil. Reliqui Athenis te juvenculum, decem,
Ni fallor, anni sunt: pugil nunc factus rs.
Quare parcas, si primo non agnoverim.

Clit. Non est, quod te purges: novi mores tuos.

Phil. Quae te fors fortuna huc advexit denique?
Unde advenis? sed jam domum bono omine
Ingredere, ut fabulemur. O niveam diem!

Sos. Dii te, hospes, juvent: opportunissumus [1])
Advenisti, hodie erepturus mihi verbera.

SCENA QUARTA

Via

STRATILAX, SOSIA.

Str. Quid ais Sosia? Tibi vehementer gratulor.

Sos. Qua de re? An quia quotidie tuus herus parit,
Et tibi strena obtingit? *Str.* Quin potius gratulor
Egomet tibi, quod effeta in senerta herus
Tuus tam grandem filium enixus siet,
Quem ipso die nativitatis miserit
Ad ludum littrarium: prae gaudio
Opus est, ut bubuli in te cottabi crepent,
Tuumque tergus. Gestit proinde animus mihi.

Sos. Nou belle intellego, quid dicas. *Str.* Postmodum
Intelliges, cum res in lurem venerit.

Sos. Me perditum! hic meam olfecit fallaciam [2]);
Proinde mox totam enodabit fabulam.

Str. Quid tecum murmuras? *Sos.* Nihil: age rem tuam [3]).

[1]) Haec Sosia apud se. Et Domini domum ingrediuntur; Sosiam autem sic interpellat Stratilax.

[2]) Haec apud se Sosia.

[3]) Stratilax abit.

Hercle actum est de me, si id senex resciverit.
Vide, in quas tricas sponte me conjecerim:
Sed manibus pedibusque adnitendum, ut me explicem.

SCENA QUINTA

Domus

CLITIPHO, PHILOCLEON, *mox* SOSIA.

Clit. Parvi quidem lucelli occasio fuit
Itineris; sed tui visendi cupiditas
In primis impulit, ut prisca hospitalitas
Nos inter firmaretur denuo, et quasi
Revivisceret. *Phil.* Obstrictus valde sum tibi
Hac de voluntate tua erga me, Clitipho.
Clit. Age vero de rebus tuis, Philocleon,
Aliquid audire cupio, in primis de tuo
Gnato, quem nosse gestio. Grandiusculus,
Puto, jam factus est. Ut is valet? ut sapit?
Paternos ut mores, et virtutem refert?
Phil. Belle is quidem valet, mi Clitipho, grandis est;
Parum sed adhuc sapit: fortasse postmodum
Magis sapiet. *Cli.* Quidum. *Phil.* Quippe juveniliter
Luxuriatur equis, et curru; domestica
Nec res illi quidquam curae est. *Cli.* Id non placet.
Quin illum corrigis, cum adhuc tenellus est?
Phil. Quid censes? ego monendo illum quotidie
Defessus sum; illuc tandem deveni, ut hodie
In ludum litterarium ire coeperit.
Sos. Ausculto [1], quos secum sermones misceant.
Clit. Probe factum, etsi serius, quam oportuit;
Mature enim inserendus felix surculus.
Sat, puto, providisti, cui committeres
Gnatum magistro. *Phil.* Hem! docto in primis, et probo.

[1]) Sosia prope scenam audit sermonem, quin a loquentibus videatur.

Clit. Gaudeo. Verum, quaeso, quam sectam iste sequitur?
Phil. Quam sectam! an in sectas scinduntur philosophi?
Clit. Quod caput est, ignoras, Philocleon? scilicet
In primis erat investigandum. Dic, rogo,
Quod nomen huic doctori est? *Phil.* Nicarchum vocant.
Clit. Nicarchum! Et unde gentium est? *Phil.* Id nescio.
Clit. Civisne, an hospes? *Phil.* Hospes, puto: civis quidem
Non est. *Clit.* Qua facie, quove corporis habitu?
Phil. Procerus, ventriosus, et nigra coma.
Clit. Ipse est. O praeclarum magistrum! cui tuum
Commisisti gnatum. Is ne doctus, et probus
Vir est? *Phil.* Falsus ne fui? Dic, quaeso, Clitipho.
Clit. Ah, nisi caves, quid gnato conficies mali!
Idque adeo miror, quomodo in mentem tibi
Tam ineptum consilium venire potuerit?
Phil. Id improbus servus persuasit Sosia.
Sos. In me cudit fabam: ast teneo auribus lupum [1]).
Clit. In culpa es tu, qui imprudens res hujusmodi
Permittis servo. Fortasse is fide bona,
Et sine dolo talem doctorem nactus est.
Quid facies, si se non novisse dixerit,
Cujus sit ille furfuris? *Sos.* Probe; at scio
Ego, quid dicam. *Phil.* Praesagibat animus malum.
Verum dic age, quaeso, quis hicce homo siet?
Clit. Scelestus nebulo, perditisque moribus,
Athenis ejectus patrata ob crimina.
Is nunc, postquam paterna bona abliguriit,
Extorris patria, circulator callidus
Evasit, philosophico protectus pallio.
Phil. Papae! *Clit.* Vide ergo, cui gnatum commiseris:
Quam praeclarum, et probum magistrum elegeris.
Phil. Erratum fateor: nunc abducendus statim
Ab hac pernicie gnatus. *Clit.* Optume id quidem:
Sed festina lente. Sine, agnoscam prius
Hominem, an vere ipse sit, quem descripsi tibi;

[1]) Ita Sosias apud se.

Ne forte fallamur nomine. *Phil.* Faciam, ut jubes.
Clit. Adduc me ad illum, quasi visurus filium,
Quo pacto se gerat: curabo relliqua.
Phil. Recte autumas. Heus Sosia. *Sos.* Praesto tibi sum, here:
Quid me jubes? *Phil.* Ego ad Nicarchum hoc cum hospite
Pergo, ut videam, gnatus quid agat: tu januam
Occlude, atque illuc adsequere. *Sos.* Factum puta.

SCENA SEXTA

SOSIA, BDELYCLEON.

Sos. Bdelycleon egredere: pater foras abit.
Bdel. Quid est, mi Sosia? *Sos.* Quam incoeptavi fabulam,
Iam solvitur. Pater cum Clitiphone hospite
Ad Nicarchum pergit, visurus, quid geras:
Ibi pro te Charinum inveniet. *Bdel.* Hei mihi!
Quid agis? quid cogitas? *Sos.* Ne paveas, jam dolus
In promptu est, quo ambos nos tuear. Tantummodo
Mecum veni, cumque in conspectum te patris
Vocavero, confidenter adpare illico,
Omnemque in me causam rejice, cur in scholam
Minus veneris: attende meis sermonibus,
Atque obsecunda. *Bdel.* Dic, quaeso, rem planius.
Sos. Per tempus non licet: oportet patrem adsequar.
Mihi morem geras, et salva res erit.
Bdel. Quod vis, faciam: verum cave..... *Sos.* Ne palpita.

SCENA SEPTIMA

Schola

NICARCHUS CUM DISCIPULIS, STRATILAX, *mox* PHILOCLEON, CLITIPHO, SOSIA, ET BDELYCLEON.

Nic. Jam est tempus, discipuli, dictata reddere,
Quae didicistis. Quicumque a commentario

Hilum abscedet, et unam peccabit syllabam,
Nequaquam poterit tristem vitare ferulam:
Age nunc, extolle vocem, recita, Pamphile.

Pam. Heu me! quid dicam, nescio [1]). Quaeso, me adjuva.
Nic. Non incipissis adhuc? quid jactas brachia?
Contrahe sis, petulans, immodeste pusio.
Pam. En contraho: ecce incipisso: ne clamita.
Siquidem... universam... hujus... Mundi... adspectabilis
Compagem... non mens aliqua... non Deus...
Disc. Crepuit eccum, magister, ostium. *Nic.* Stipes [2]), vide
Quis est. Non pergis? *Pam.* Non mens... aliqua... non deus...
Str. Ingreditor. *Nic.* Ecquis homo est? *Str.* Dives Philocleon,
Et exlex. *Pam.* Hem! sic me servavit Jupiter.
Phil. Reviso te, Nicarche, nostro cum hospite
Clitiphone, qui nuper venit Athenis. *Clit.* Is est.
Nic. Salve, Philocleon, tuque hospes, quicumque sis.
Clit. Non me noris, Nicarche? *Nic.* Non ego quidem.
Clit. Clitiphonem Antisthenis gnatum non noscitas?
Nic. Hem! meminisse videor. *Clit.* Gaudeo te philosophum
Repente factum. *Nic.* Quidni? Ætas sapientiae
Condimentum est. *Clit.* Teneo. *Nic.* Quid ais Philocleon?
Quid me vis? *Phil.* Ubinam filius Bdelycleon?
Nic. Non cernis filium? nec tu adcedis patri?
Str. (Ah [3]), ah, ah. Nunc lepida incipissit fabula).
Manumque deoscularis? *Phil.* Ubinam est? neutiquam
Video. *Nic.* Non viden'? O lepidus es [4]). Non filius
Hic. Non hirce pater? *Phil.* Sic me ludis, pessume?
An ego gnatum non norim? *Nic.* Te nosse arbitror:
Sit, nec ne, ignoro, nec moror. Id unum scio,
Hunc venisse a te Bdelycleontis nomine.
Phil. A me? quis adtulit? *Nic.* Tuu' servus Sosia.
Phil. Ehem! advoca illum, Stratilax: foris adest.
Str. Statim. Sosia, Sosia, ades dum: pro filio

[1]) Pamphilus surgit recitaturus, sed socium rogat, ut adjuvet. Interea quam hic vocem suggerit, ille palam recitat.
[2]) Ad Stratilacem.
[3]) Apud se Stratilax.
[4]) Charinum indigitat

Nuper nato nunc strenae adcipies affatim.
Sos. Maligna tu fraudaberis spe, Stratilax:
Ne gaudeas. Adsum: quid me jubes, here?
Phil. Dic, bone vir, is nempe est, quem adduxti filium
In ludum? *Sos.* Is nempe est: hunc tuo pro filio
Huc adduxi. *Phil.* Quomodo tantum ausus es nefas?
Sos. Ne irascare: ausculta rationem consili.
Posthac, nisi probaris, modis me pessumis
Excrucies, ac perdas: poenas lubens dabo.
Phil. Expecto patiens, qualem incoeptas fabulam.
Str. (Jamdudum coepta est). *Phil.* Sed verba dare ne autumes.
Nic. Age sis, edissere. *Clit.* O lepidam comoediam!
Sos. Mane ut mandaveras, ducebam filium
Huc ad Nicarchum; cum nobis fit obviam
Vir quidam amicus, quem tacere nunc juvat:
Et, quo, ait, Sosia, cum Bdelycleonte pergitis?
Ad Nicarchi, inquam, ludum litterarium
Hunc duco juvenem, pectus ut sapientia
Informet. Nicarchus ne, ait, sapientia
Ut informet, vel moribus spurcissimis?
Quis mandavit? Pater. Quis auctor consili?
Ego, inquam, fateor. Macte, ait, scin', qui siet
Homo iste? (da veniam, Nicarche) pessumus
Falsator, juvenum corruptor, qui judicum
Suffragio Athenis olim ejectus adpulit
Huc alite mala, ubi Philosophum se venditans
Epicuri dogmatis juventutem imbuit,
Provida de medio tollens divûm numina.
Nic. Tun' ista me coram loqui audes, furcifer?
Sos. Non ego quidem; at relata narro. *Clit.* Nunc sine,
Hic sermonem claudat: mox ista videbimus.
Phil. Quid tum? *Sos.* Tum mihi succurrit omen pestilens,
Ac foedum, quod te ipso in limine deterruit,
Cum totum te coinquinarit lotium.
Phil. Ni mens laeva foret, Di malum portenderant.
Sos. Tum vero horrescens haesi incertus, quid agerem.
Num jussa perficiens crearem filio

Malum, atque stulti consilii fierem reus?
Phil. Mihi rem totam narrares. *Sos.* At non tu dolum
Belle confictum duceres, ut filio
Obsequerer, atque astu invisa eximerem schola?
Quam suspiciosus esses, novi. Denique
Si quid peccaverim, certe non malitia
Est peccatum, sed imprudentia, mi here.
Satius ad summam duxi, huc alium adducere
Ficto nomine; tantisper dum patesceret
Res melius. *Phil.* Interea quid factum est filio?
Sos. Domi conclusus mansit. Nunc vero foris
Adest meo suasu, ne suspicio tibi
Incessat. *Phil.* Huc arcesse (Ubi sim nescio).
Sos. Bdelycleon, te volt pater (ne fluctua [1]).
Bdel. Adsum, pater. *Phil.* Cur occultabas te foris?
Bdel. Non equidem latebrose me occultavi tuo
E conspectu; sed ut paterna capesserem
Jussa heic adstabam. *Phil.* An sic jussa capessis mea,
Qui in ludum ire recusaveris? *Bdel.* Minume, pater,
Recusavi; protinus imo ibam. At Sosia
Auctor fuit, ut domi potius quiescerem
Tantisper, dum rem cautius perpenderes.
Nic. Ohe [2]! ferendum ne amplius, ut tute sedeas
Heic pro tribunali? Hinc omnes facessite.
Phil. Ferundum ne [3], ut tutemet, homo ignavissume,
Versatus in popinis, atque ganeis,
Magistrali jam nunc decorus pallio,
Atque Epicuri crepans virosa dogmata,
Juventutem corrumpas? *Nic.* Tun', stolidissume,
His male consutis fabulis adhibes fidem;
Nec sentis, ut tibi sursum vorsum os sublinunt
Offuciis nequam mancipium, et pervicax
Gnatus? *Clit.* Satius, Nicarche, est, ut sileas modo.

[1]) Ad Bdelycleontem.
[2]) Nicarchus tantis excandescens injuriis haec ait.
[3]) Philocleon eadem gravitate, altaque voce exprobrat.